

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Kiliani Rudrauffii, ... Institutiones Et Decisiones Methaphysicae

Rudrauf, Kilian

Giessae, 1685

Regvlae de signo et signato

[urn:nbn:de:bsz:31-109028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109028)

per se non est ordinatum, ut risibilis respectu rationalitatis.

* §. 1. Per signum proprium nunc non intelligitur tantum externum & sensibile, cui ex primâ vocis impositione convenit dici signum, sed etiam intelligibile & formale, quod æque ac materiale eò est ordinatum, ut aliquid significet & representet. Signum itaque proprium est, quod & significat, & ad hoc vel à naturâ vel hominum voluntate est institutum, ut aliquid significet. Improprium verò, quod significat quidem aliquid, non tamen ad hoc significandum à naturâ vel aliunde per

se est institutum, ita licet per risum à nobis cognoscatur & arguatur rationalitas, is tamen à natura non est per se institutus ad significandam rationalitatem vid. *Ruv. li. de Interpr. c. 1.* ubi signis impropriis etiam accenset voces nihil significantes, ut *blitiri, barbara &c.*

§. 2. Quando alii signum proprium opponunt communi, tum per proprium intelligunt, quod uni tantum convenit, ut *tussis affectum pulmonis indicat.* Per commune, quod pluribus convenit, quale est *pulsus frequens, non tantum pleuritidis, sed aliorum quoque morborum indicium.*

R E G V L Æ

DE SIGNO ET SIGNATO.

Reg. I. Signum formaliter neque de rei signatæ est essentiâ, neque de eam casu recto prædicari potest.

* §. 1. Ratio regulæ est manifesta, quia utriusque diversa est definitio: Sunt opposita: Signum non est signatum, & vice versâ signatum non est signum. Sed hinc non sequitur, quod vel à parte rei semper sint diversa, vel unum ab alio se junctum & separatum. *Dicis I.* In S. Cœnâ corpus Christi prædicatur de pane benedicto: Corpus Christi est

signatum panis benedicti, E. Quoddam signatum de suo signo prædicatur. *2.* Hoc argumentum solvendum relinquimus illis, quibus tota Sacramentorum natura est *ἁερικὴ*, in relatione signi ad rem signatam consistens. Nos dicimus panem & vinum benedictum, non esse nuda signa, *σηματικὰ*, merè significantia, sed *προσφερόμενα καὶ μεταδοτικὰ*; siquidem in, cum & sub pane offertur nobis corpus Christi: In, cum & sub vino benedicto porrigitur nobis sanguis Christi. Hinc propter

Dddd

unionem

unionem illam sacramentalem etiam rectè corpus de pane benedicto, & sanguis Christi de vino benedicto prædicatur. Quod si enim Christus ipse hoc modo fuit locutus: Hoc, monstrato pane, est corpus meum. Hoc, monstrato calice, est sanguis meus; Cur non adhuc de pane benedicto, corpus Christi in, cum & sub se complectente, conferente: De vino benedicto, complexivè sumto, ut est medium, in, cum & sub quo confertur sanguis Christi, dicere liceat? Hoc est corpus: Hoc est sanguis Christi, sicut aliàs in communi usu, monstrato dolo, dicere solemus: Hoc est vinum.

§. 2. *Dicis. II.* Hinc tamen sequi, corpus Christi non esse in, cum & sub pane benedicto: Sanguinem Christi non esse in, cum & sub vino benedicto, quia signatum non possit esse in signo. *Timplerus l. 3. Metaph. c. 4. probl. 5.* quatuor adducit rationes, quibus probare annitur: Signatum non posse esse in signo neque de eodem prædicari. 1. Quia signum & signatum sint relata. Relatorum autem unum propriè non possit esse in alio neque de eodem prædicari. 2. Quia signum & signatum sint opposita. Unum autem oppositorum propriè non possit esse in altero, neque de eodem prædicari. 3. Quia manifestam implicet

contradictionem, si signatum propriè de signo prædicari dicatur. Signum non est signatum & v. v. signatum non est signum. 4. Quia *Arist. l. 4. Phys. c. 3.* octo recenset modos, quibus aliquid dicatur esse in alio, nimirum vel ut (α) pars in toto, vel ut (β) totum in partibus (γ) vel ut species in genere. (δ) vel ut genus in speciebus (ϵ) vel ut forma in materiâ (ζ) vel ut effectum in efficiente, (η) vel ut finitum in fine (θ) vel ut locatum in loco; secundum nullum a. horum modorum, signatum verè dici possit esse in signo. 3. Signum & signatum considerantur vel *definitivè* & *formaliter*, sic sunt opposita, neque unum est in alio, neque unum de altero prædicatur, vel considerantur *materialiter*, & sic non repugnat, id quod est signatum, esse in signo. Rationem 1. & 2. Timpleri infringit exemplum subjecti & adjuncti, quæ etiam sunt relata, sunt opposita, adeoque implicat, unum de altero *formaliter* prædicari, non tamen repugnat, id quod est adjunctum, esse in subjecto, sicut anima adjunctum corporis, est in corpore. Rationem 3. reponimus Timpleri asseclis, docentibus, sacramenta prædicari de rebus signatis, earumque sustinere nomina, quatenus illas signent & repræsentent, vid. *Maccov. Metaph. p. 145.* Ratio 4. ejusdem est ponderis. Recen-

sro

omni potentia cognoscitivæ, sive hæc legitimè illo, sive illegitimè utatur. Nam sicut usus signi legitimus non confert ei vim significandi, sic nec abusus eandem destruit, quæ proinde *Maccovius in Metaph. c. XVI.* male confundit tale proponens theorema: *Qua sunt ex instituto signa, non significant propriè, nisi istis, qui legitimè ipsis utuntur, hoc est, qui & comodo, quo debent, & eo fine, quo debent.* Quod cum in finem fabricavit, ut obtineret, indignos in S. Cœnâ non fieri participes corporis & sanguinis Christi. Pugnat hoc assertum cum expressissimis verbis Pauli 1. Cor. XI. 27. *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Qui reatus non attrahitur absolute comedendo panem, sed panem benedictum, in quo est, & cum quo porrigitur corpus Christi. Non enim hoc per accipientis incredulitatem à pane divellitur. Licet ergò indigni indignè manducant corpus Christi, sibi que sumant in iudicium, sumunt tamen verè & manducant. A negatione enim

salutaris fructus ad destructionem ipsius sacramenti non licet argumentari.

Reg. VI. *Memoria est rerum absentium vel præteritarum.*

* §. I. Nititur hæc regula descriptione signi commemorativi, quod est rei non præsentis sed præteritæ. Nihil a. hinc patrociniis Calvinianis ad labefactandam substantialem corporis Christi in S. Cœna præsentiam præbetur ita concludentibus: Memoria est rerum absentium: Cœna Domini est memoria Christi. E. Christus in S. Cœna non potest esse præsens. B. Commemoratio est rei absentis, si non ratione substantiæ, tamen circumstantiarum, & sic etiam S. Cœna celebratur in commemorationem Christi, non ratione substantiæ, absentis, sed ratione passionis, quæ præterit. 2. Memoria est rei absentis, non semper secundum rem & substantiam, sed saltem secundum speciem. Atque hinc ejus etiam, quod nobis præsentissimum est, corporis nempe Christi, oculis nostris inconspicui, recordari possumus.

